





13  
1784 2  
15

DISSERTATIO  
DE  
**GENVINA POLITIAE  
NOTIONE  
EIVSQUE AMBITV**

---

P 137  
PRAESIDE  
**IOANNE CHRISTIANO FOERSTER**

PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
COLLEGII, QVOD HALAE PRO CAMERA REGIA DVCATVS MAGDEBVR-  
GICI RES SALINARIAS ET METALLIFODINAS CVRAT, ASSESSORE  
ORDINARIO, ALVMNORVM REGIORVM ET HALBER-  
STADIENS. PROVINCIAL. EPHORO

D. APRILIS A. MDCCCLXXXIV.

H. L. Q. C.

PUBLICAE EXHIBET DISQVISITIONI

AVCTOR ET RESPONDENS

**FRIDERICVS AVGVSTVS HANOW**

MESOM. IVR. CVLT.

---

HALAE  
LITTERIS FRID. AVGVST. GRVNERTV



ГИДАНИЧЕСКАЯ  
БАНКОВСКАЯ  
ФИНАНСОВАЯ  
ДИСТАНЦИЯ

ДВОРСКИЕ  
ПЛАСТИКИ  
ДВОРСКОГО ДИСТАНЦИИ

ДВОРСКАЯ ТЕХНИЧЕСКАЯ  
ИЗДЕЛИЯ

ДВОРСКАЯ АВОТАР ХАНОВА  
ДВОРСКАЯ АВОТАР ХАНОВА

ДВОРСКАЯ АВОТАР ХАНОВА  
ДВОРСКАЯ АВОТАР ХАНОВА

ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOANNI HENRICO CASIMIRO  
DE CARMER

MAGNO IN TERRIS BORVSSICIS CANCELLARIO

PRIMITIAS LABORVM.

D. D. D.

FRIDERICVS AVGVSTVS HANOW.



ILLUSTRISSIMO

ALIAS

EXCELSISSIMO DOMINO

DOMINO


JOANNI HENRICO CASIMIRO

DE GARMER

LIBRARIO IN TERRIS POLONIAE VINDOBONENSIO

PRIMUM FRANCORVM

PRIMUM LIBRARIVM HANOM



## P R A E F A T I O.



Cum breui studiorum meorum cursu ad finem per-  
ducto iis, quorum interest, me non frustra hic deli-  
tuisse, rationes reddere debeam; mihi solicitanti, qua  
de re potissimum agerem, Illustris Praeses argumentum huius  
speciminis suppeditauit. An satis sim instructus iis, quae ad  
hanc rem pertineant, vel aliquo modo lectorum exspectationi  
satisfecerim, ego quidem dubito, de eo vero nullus dubito,  
aequos rerum arbitros et aequa de meo labore iudicaturos  
esse. Periculum igitur faciam, quid valeant humeri et quae-  
nam sint vires meae; neminem vero a me, qui in hoc scien-  
tiae genere ut et in aliis non ita sum versatus, ut viris doctis  
exacte satisfacere possim, exspectare succinctam et viro in  
scientiis atque rebus agendis satis versato dignam tractationem  
confido. Caeterum me meamque opellam aequo lectori de  
meliori commendo.



DE  
GENVINA POLITIAE NOTIONE  
EIVSQVE AMBITV.

§. I.

**L**icet politiae, quae republicas, in quibus viget, ex sine suo reddere debet felices, quaeque, ut paucis omnia comprehendam, quasi anima<sup>1)</sup> reipublicae est, utilitates et emolumenta in aprico sint; negari tamen nequit, eam antiquiori aeuo valde esse neglectam et eam quoque non potuisse locum habere, vti hodie; dum veteres plura nesciebant, quae hodie nobis vel necessaria vel tamen iucunda putantur. Vti in omnibus scientiis ita et hic praxis, — ad eam satis felicem, amplam et ex fundamentis applicatam non sumitur respectus, — prior est theoria; in omni igitur societate ciuili politia locum habere debuit, verum de explicandis atque concatenandis notionibus recentiores demum cogitauerunt. Nam nouiore aeuo, cum eius et necessitas et utilitas magis magisque innotuit, extiterunt, qui de formando conceptu, de definieadis finibus solliciti fuerint: ast qualis differentia! — Vnusquisque fere sibi aliam notionem aliosque fingit fines, addit vel detrahit pro lubitu ita, vt interdum, si comparationes duarum vel plurium notionum de politia instituantur, diuersarum scientiarum notiones legere putaremus. Idque eo minus mirum videtur, quo frequentior ira de aliis quoque disciplinis earumque vel minori vel ampliori ambitu variant opiniones corum,

<sup>1)</sup> Illocrates iam politiam animam appellauit, dum ita laudibus eam effert: οὐαὶ πολεῖς ὅδης ἀλλο, η πολιτεία, τοπαυτη ἐχετε δοκιμήν, οὐαὶ περι τοποτη Φεοντοι etc, vid, eius orat, Areopagitican.

eorum, qui illas coluerunt, et quo arctior est nexus inter ea, quae modo ad politiam, modo ad longe alias disciplinas referri solent. Fuerunt imprimis nostro seculo, qui fines scientiarum, praesertim quoque earum, quae rem publicam concernunt, constituerent, quique politiae limites designare, ad eamque iusto plura vel pauoira referre conarentur. Inde eius limites vel protensiōes vel magis circumscripsi sumuntur, quae diuersitas, si quoque in applicatione absque detimento foret, ramen in theoria et in systemate condendo non leues secum ducit difficultates: nos vero in eo inuenire arbitramur scrupulos, qui vexant potissimum iuuenum ingenia, dum eos oportet lucidum ordinem quaerere et diuersorum verum perspicere discrimen, ut cuius suum quasi proprium et consentaneum attribuant locum. Rationes autem huius diuersitatis sunt tum vagus loquendi usus<sup>2)</sup>, qui valet de hoc termino, tum quia saepius cum iure, cum politica, cum re camerali et aliis confunditur. Ut vero haec omnia magis eluceant; et veterum et recentiorum notiones atque sententias praemittamus.

### §. II.

Quod Graecos attinet, quibus nomen<sup>3)</sup> deberimus; apud eos usum loquendi nequaquam inuenimus certum, neminem enim

2) v. c. dicimus: *hoc vel illud pertinet ad politiam* et tunc sub verbo politiae collegium politiam curans intelligimus: sic quoque: *valer bona vel sinistra in hoc loco politia*, i. e. ordines et leges vel fini satis conuenientes vel minus etc.

3) πολιτεια a verbo πολις Graecis urbs; inde πολιτευμα idem quod πολιτισμος, et πολιτευομαι reipublicae, interdum quoque tantum priuatis operam dare negotiis. Romani aemuli Graecorum hoc verbum fere immutatum receperunt, et nos in vernacula Polizei loquentes eos secuti sumus.



enim de republica veterum diligenter perueluentem scripta fugere potest, quaenam diversitas sit cogitationum et notionum, quas isto vocabulo significauerint, dum modo rempublicam ipsam, modo formam imperii, modo rem communem, modo internam reipublicae constitutionem intelligunt<sup>4)</sup>. Magnam iam quidem sapientiam in regendis ciuitatibus veteres exhibuisse procul dubio est, ast, qui notiones definitosque fines politiae ex eorum scriptis eruere studet, inueniet, non id, quod quaerit, inde reperiri, nesciet, quo se vertere debeat, dum comparatio locorum, quae politiam respiciunt ostendit, plura quidem eximia de ipsa dici, eius vero notionem satis distinctam satisque completam nullibi esse. PLATO postquam ante de quatuor virtutum prudentiae, fortitudinis, temperantiae et iustitiae harmonia in ciuitate egerat, de politia varia edisserit, quae praeclara sunt, et quae, ut infra patescet, secundum nostram opinionem genuinae eius notioni valde respondent. Inter alia ait: *est aliqua scientia in ciuitate apud cives ullos, qua non de re aliqua priuata in ciuitate deliberatur, de vniuersa potius ciuitate, qua ratione et ipsa erga se ipsam et alias ciuitates optime se gerat*<sup>5)</sup>. Alibi eam ciuitatem, eam rempublicam, eas leges primas asserit esse, vbi quam maxime per vniuersam ciuitatem priscum illud locum habeat: *amicorum esse* omnia

4) Possem, vt vagum istum loquendi usum illustrarem, scripta Platonis Aristotelis et Xenophontis de republica, vt et aliis argumentis v. c. de legibus, moribus etc. in quibus hoc verbum sexcenties obuenit, allegare, verum limites dissertationis non permittunt vastitatem, et minus proficia simul haec significatum videtur designatio.

5) Plato de republ. I, IV.

*omnia communia*<sup>6)</sup>). Nolumus Platonis rempublicam hic de-pingere, quae, et si eius idea de nulla ciuitate humana valere potest, tamen virtute, — sit haec ficta et chimaerica tantum, quam suae reipublicae fundamentum summisit Plato — suffulta esse videtur, in quo ponendo politiae fundamento a vero non multum abesse secundum nostram sententiam videtur philosophus. Oleum autem et operam perderem, si omnia Platonis loca, quae politiae respondere videntur, allegarem. Ex multis inter se comparatis locis et dictiōnibus eius de ipso iudicamus, eum, quamvis multa et praeclara de politiae institutis exhibeat, nec praeceps locutum fuisse, nec politiae limites ambitionque accurate designauisse. Secus paulo res se habet, si Aristotelem praceptoris vestigia gloriose prementem consulimus, qui iamiam scientias distinguit, et *administranda ciuitatis rationem* politiam vocat: hunc sensum paene semper huic vocabulo subiungit, et afferre possemus multa loca<sup>7)</sup>, quae eandem Aristoteles sententiam prodant, quod etiam Heumannus<sup>8)</sup> et alii annotarunt. Ex his vero id patescere existimamus, Aristotelem *politican* et *politiam*, quas hodie distinguimus, non distinxisse; illa utique est omnis administranda ciuitatis ratio, haec illius vel pars tantum vel administratio aliorum, quae ad politicam pertinent, vel usus et applicatio mediorum ad alios istos fines, quos politica quasi monstrauit, et qui obtineri nequeunt sine veris eo tendentibus mediis eorumque prudenti applicatione. Haec dicta quoque de aliis

grae-

6) de legibus I. V.

7) Aristotelis polit. I. III, c. 1. et 4. I. IV, c. 3.

8) I. Heumanni initia iuris politiae Germanorum, Norimbergae

1757. 8.

B

graecis, Xenophonte potissimum valent, omissa igitur vberiori discussione conceptus, quem hi veteres sibi formarunt, pauca addamus de re ipsa, de politia, vt apud ipsos exercebatur. Praxi priorem esse erudite composita theoria (v. §. praec.) Graeci quoque probant, apud eos enim sine clara notione, certisque finibus designatis politia florebat, quod eorum  $\tau\alpha\phi\varrho\nu\sigma\iota\omega\iota$ , emendatores s. curatores morum;  $\mu\epsilon\tau\varrho\nu\omega\mu\omega\iota$ , mensurarum legum curatores;  $\gamma\mu\nu\alpha\chi\omega\mu\omega\iota$ , decentiae et modestiae mulierum curatores et alii plane ostendunt<sup>9)</sup>. Hoc etiam de Romanis valet, quorum aediles nec non censores et alii publici officiales rebus politicis praeerant, vt hoc iamiam leges XII. tab. constituerunt<sup>10)</sup>. Caeterum Romani Graecos sunt imitati, et nec Cicero nec aliis scriptor romanus singularem de politia conceptum nobis reliquit, nisi illa verba Menedemi cuiusdam Atheniensis; quem Cicero<sup>11)</sup> ita loquentem introducit: *esse* (sc. Athenis) *quandam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus constituantur et regendarum rerum publicorum pro politiae definitione velis habere.* Morum censores apud Romanos magnam politiae partem et aediles alteram curare debebant. Illi etenim eo tempore, dum virtutis potissimum ratio habebatur in re publi-

9) Aristot. polit. I. IV, c. 8. I. VI, c. 8. Demosth. contra Formion.

10) de censibus: censores populi aequitates, fiboles, familias, pecunias censento; urbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tenuitor; populi partes in tribus distribuunto, exim pecunias, ordines partiuntor — caelibes esse prohibento; mores populi regunto; bini suntio. Couf. Cicer. de legibus I. III, c. 3.

De aedibus: suntoque aediles curatores urbis, annonae etc.

11) de oratore I. I, c. 19.

publica magna diligentia eligebantur, exemplum habemus in Valeriano, qui censor multis acclamationibus nominabatur, de eo sic iudicabatur: *ille de omnibus iudicet, qui omnibus melior est; ille de senatu iudicet, qui nullam habet crimen; ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obici.* Valerianus a prima pueritia fuit censor, prudens senator, modestus senator, grauis senator, amicus bonorum, inimicus tyranorum, hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc censem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus: primus genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Ex his omnibus cognosci potest, quinam ambitus officiorum censoris, quaeque dignitas illius munieris? — Ex Ciceronis mente hi censores ii esse debebant, qui aquid Graecos νομοφύλακες erant, non solum litteras, nam id quidem etiam apud maiores nostros erat, sed etiam facta hominum obserabant, ad legesque reuocabant; ut breuibus dicamus, hi morum censores morales ciuium perfectiones sibi curae cordique habebant, quae virtutes primarium politiae argumentum utique esse debent. Ex alia parte aediles quasi naturales et physicis tam ciuium quam societatis eorum perfectiones curabant, et prout hae diuersae esse solent, erant quoque in ista republica pro munerum diuersitate diuersi aediles, vel eorum diuersa officia; curam gerebant et sacrarum et priuatarum aedium, stratae viarum; veterabant, ne ex tabernis vel officinis quicquam proiceretur, quod viam coarctaret, ne rixae aut iurgia in via publica fierent, ne fordes in publicum effunderentur, et cura annonae ipsis demandata erat, luxui obuium ire, sumptibus funeralibus modum statuere, publica scorta nosse, ea in tabulis habere eaque pecunia mulctare, quae quasi non in ordinem recepta erant, debebant, et innumera

B 2

alia

alia curabant, in quibus explicandis versata est *Pitisci* diligenteria, ad quem Lectorem mittimus <sup>12</sup>).

§. III.

Recentiores, qui politiae operam dederunt adeo diuersi sunt in figendo tam conceptu quam ambitu, ut illorum fere innumerous diueriasque notiones omnes enumerare, enumeratos dijudicare, spuriasque reiicere opus foret, quod longe excederet libellum eiusmodi academicum. Praecipuas eorum tantummodo recensebimus definitiones. Iure quasi primum locum habeat venerandus senex Moferus <sup>13</sup>), qui vero iusto plura ad politiam referre videtur, ut profecto plures scientiae eo non pertinentes ad istam referri deberent, etenim principio *iura et obligationes indeque ortae institutiones ad externam subiectorum vitam ordinandum, ad ordinem conseruandum atque ad temporariam eorum felicitatem promouendam nominat politiam*. Non adeo ab his discrepant Iustii <sup>14</sup>) meditationes, qui per

illam

<sup>12</sup>) conf. Sam. *Pitisci lexicon antiq. romanorum art. censores morum et aediles.*

<sup>13</sup>) I. I. v. *Mofer von der Landeshoheit in Polizeisachen*. Frankf. und Leipzig 1773. Politiam esse contendit: „Diejenigen landesherrlichen Rechte und Pflichten, und daraus fließende Anstalten, welche die Absicht haben, der Unterthanen äußerlich Betragen im gemeinen Leben in Ordnung zu bringen und zu erhalten, wie auch ihre zeitliche Glückseligkeit zu befördern.“

<sup>14</sup>) I. H. G. v. *Iusti*, *Grundveste zu der Macht und Glückseligkeit der Staaten etc.* Leipzig 1760. 4. vid. init. §. 3. „Die Polizei, inquit, ist eine Wissenschaft die innerlichen Verfassungen des Staats solcher Gestalt einzurichten, daß die Wohlfahrt der einzelnen Familien mit dem allgemeinen Besten beständig in einer genauen Verbindung und Zusammenhange sich befindet.“

illam internas illas constitutiones intelligit, quibus salus ciuium cum bono publico vere et feliciter coniungitur. Sonnenfelsius<sup>15)</sup> Vir omni laude dignus, et Butschek<sup>16)</sup> ex Iustii scriptis plures notiones adponunt et multa proponunt, quae Iustio opponi possent. Perill. PÜTTERVS<sup>17)</sup> de illa ita praecepit: *est supremae potestatis pars, qua exercetur cura auerendi mala futura in statu reipublicae interno in commune meruenda; at hic conceptus, mea sententia, non omnia politiae propria sub se continet.* Hobenthalius<sup>18)</sup> iterum aliter sentit et ut ipsius utamur verbis, politiam dicit *congeriem mediorum (s. legum et institutorum), quae uniuersae reipublicae splendori atque externae singulorum ciuium felicitati inserviunt.* Finem politiae augmentum et conservacionem diutiarum *Succouis* constituit, verum nonne id quoque valet de aliis scientiis, quae tamen a politia segregantur? — Meliorem sibi viam elegit Cl. Roeffig<sup>19)</sup>, qui commo-

## B 3

## ditates

15) Ioh. v. Sonnenfels Grundzüge der Polizei - Handlung - und Finanzwissenschaft, Wien 1770. 8. vid. §. 22.

16) Ioh. Ign. Butschek Abhandlung von der Polizei etc. Prag 1778. 8. vid. pag. II. not. \*

17) Io. Steph. Pütteri institutiones iuris publici germanici. Goett. 1782. 8. vid. §. 331.

18) Pet. Car. Guil. L. B. ab Hobenbal liber de politia ad persis observationibus de causarum politiae et iustitiae differentiis Lips. 1776. 8. vid. §. II.

19) C. G. Roeffig Versuche über die ökonomische Polizei nebst einer Abhandlung über den Landbau der Römer etc. Leipzig 1779. 8. qui p. 10. ita scribit: „Sollte also nicht die Polizey das Ordnungswesen eines Staats seyn, in Rückicht auf Bequemlichkeit und öffentliche Sicherheit, in sofern sie durch gemeinnützige Anstalten erhalten und „beför-



ditates et publicam securitatem, multititudinem ciuium, eorumque moralitatem finem sumfit; verum ita potius nominantur praecipua politiae capita, non ipsa politia explicatur. Hoc ipsum eodem iure dicendum quoque de *Mario*<sup>20</sup>), qui proprietate quidem non definit, sed, ad quas omnia refert politiae capita, undecim eius partes designat, quod si vitium iudicatur et *Bretio*<sup>21</sup>) imputari debet, dum non explicat, sed numerat, non definit, sed varios quasi limites et terminos illius designat.

#### §. IV.

Dum ita eruditorum ingenia vexauit verus et genuinus politiae conceptus, non adeo facilis esse videtur. Et adhuc vnum est, quod adducere debemus, quod quidem nil facit ad veriorem notionem, multum tamen facere potest ad magis distinctam et praecisam istam efficientiam. In ipsa autem politia vel docenda vel administranda prodest distinguere, *res et causas politiae* (Polizeisachen), quae verum sunt illius argumentum: *potestatem politiae* (Polizeigewalt), quae istis competit, qui in administranda et ordinanda ea versantur: *ius politiae*

„befördert wird; in Absicht auf die Volkreichheit, Sittlichkeit der „Bürger, und den Nahrungsstand, um dadurch die innere Stärke „des Staats zu gründen und zu befördern?“

20) Traité de la police etc. A Paris 1705, fol.

21) de la souveraineté du Roy livre 4. chap. 15. „J'appelle, inquit, Police, les loix et les Ordonnances que l'on a de tout temps publiées „dans les Etats bien ordonnez; pour regler l'oeconomie des vivres, „retrancher les abus, et les monopoles du Commerce, et des Arts, „empêcher la corruption des moeurs, retrancher le luxe, et bannir „des Villes, les jeux illicites: ce qui a merité ce nom particulier de „Police , ,

*litiae* (Polizeirecht) s. ius circa causas politiae et denique *scientiam politiae* (Polizeiwissenschaft), quae postrema, prouti vel latior vel strictior intelligitur vel ius politiae pro parte habet, vel hoc, vt longe alia scientia ab illa distinguitur et separatim tractari potest<sup>22)</sup>). Ex vberiori explicatione politiae haec omnia magis innotescunt, nos vero tantum ea, quae vel cum ea confunduntur, vel eius obiecta vera sunt, nominare voluimus, antequam ad ipsam notionem nos accingamus, quam, vt antea diximus non ita facilem arbitramur, vt statim occurrat illi, qui de ea formanda cogitet, subscribimus potius iudicio, quod iam tulit Leyserus vir certo magnus, qui ingenuo fatetur, *ipsum de solida causarum politicarum definitione, quam a priori vocant, inuenienda desperare*<sup>23)</sup>). Quodsi igitur et nostrum periculum non adeo felix futurum esset, et nos facile veniam impetratueros esse, haud desperamus.

### S. V.

Quod nulla societas absque interna constitutione bonaque ordinatione diu consistere possit, nulla indiget explicatione. Ut nempe societatis finis obtineatur, leges, sive sint scriptae sive non, vt et instituta et ordinationes opus sunt, cum absque his nulla societas fatis firma et felix reddatur<sup>24)</sup>). Sunt enim homi-

22) Has differentias Perill. *Nettelbladt* Praeceptor, quem aeternum venerabor, dum primas lineas iuris politiae medistarum in Germania vrbium duxit, in diurnis Halensibus de a. 1761. p. 574. urget. Sic quoque Heumannus l. c. diuersa sibi distinguere proposuit, dum ita §. 6. scripsit: *nos iam non tam in scientia politiae (Polizeiwissenschaft), quam in iuris politiae prudentia (Polizeirecht), praecepue Germanorum, explananda versimur etc.*

23) Aug. de Leyser Med. ad ff. spec. 687. Med. 35.

homines non ii, qui tamen esse deberent, si per istos, illorumque viuendi rationem vera societatis felicitas promoueri debeat; inde leges earumque necessitas, ut id, quod sponte et virtute non obtinetur, per leges et earum custodiam obtineatur, suppleant igitur leges virtutis defectum. Exemplo nobis sit quaevis familia s. potius societas familiaris, quae si bene fundata, si eius prosperitas et felicitas respicitur, leges sub nomine *legum domesticarum* (der Hausgesetze) requirit, atque, ut paucis dicam certa politia destituta esse nequit. Has autem leges domesticas condere, hanc quasi politiam constituere et prout habitu definire est penes caput familie, penes patrem familias, qui illud e concessione superioris, qui approbata societate familiaris, quas singulas ipse inspicere nequit, eo ipso hancce curam patrifamilias committere credatur, exercet; et inde vulgatum illud: *ein jeder ist König in seinem Hause* originem traxit. Placent mihi eam ob causam, quas habet de politia auctor *oeconomiae forensis*, Vir omni laude dignus, cogitationes, qui de difficultatibus in conceptu politiae formando pauca agens de ea iudicat, quasi in-quavis domo valere politiam, complexum legum domesticarum, quas ad ciuitates applicatas constituere politiam stricte sic vocatam<sup>23)</sup>.

Iac. Frid. Ludorvici diss. de iure et jurisprudentia domestica. Hal. 1703.

§. 6.

24) *Conf. Ciceri de legibus I. III. c. 1.* Nihil, inquit, tam aptum est ad ius, conditionemque naturae — — quam imperium, sine quo nec dominus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest.

25) *Conf. oeconomico forensi oder kurzer Inbegriff derjenigen landwirthschaftlichen Wertheiten, welche allen so wohl hohen als niedrigen Gerichtspersonen zu wissen nöthig.* Band I. Seite 65. 66.

## §. 6.

Quo autem utilitas cuiuslibet societatis actu locum habeat, duo requiruntur, alterum *sapientia* harum legum s. interiae constitutionis societatis, alterum illarum *obseruantia*. Sapientes autem eas leges esse puto, si societas et eius membris, praecipue fini praefixo respondent; inde, dum variant ciuitatum formae, et dum ciuium mores, vitae genus, labores, industria etc. differunt, his omnibus consentaneae esse debent, et ob hanc ipsam causam non quasi in aeternum duraturae leges esse queunt, dum pro diuersitate temporum ea omnia diuersa esse solent, iisque tamen omnibus hae leges sint consentaneae, si sapientes et fini conuenientes. Quando autem societas sapientissimis legibus superstructae, quando optimis politicis institutis adiutae sunt, non obtinebitur finis. Non sunt enim consilia, sed leges sunt, et hae forent tantum illa, si penes illos, quibus sunt scriptae, foret, negligere eas vel obseruare. Secundi requisiti vero ratio facilior haberi potest in minoribus quam maioribus societatis, cum ipse legislator, ut ita dicam, in prioribus totum sine labore possit perspicere. Quoad maiores res iam grauioribus difficultatibus est subiecta, cum is, cui suprema politiae potestas competit, vices suas infinite pluribus aliis committere teneatur. Nemini, ita Plato ait<sup>26)</sup>, dubium est, quin cum magna res legislatio sit, si quis ciuitati per leges bene paratae non idoneos constituerat magistratus, quamvis leges bonae sint, tamen non modo id nihil proderit, verum etiam damna ciuitatibus pariet. Melius enim est leges plane non sancire, quam latas leges harumque obseruantiam negligere et hunc neglectum nihil habere. Quo magis autem res potissimum complicata necessaria est, eo difficilior est obtenu.

## C

## §. 7.

26) *Plato de leg. l. VI.*

## §. VII.

Quodsi nunc de politia in genere , sine qua nulla societas ciuilis consistere potest et communis eius salus eo maior, quo melior est politia, verba facere volumus ; eius partes ita sunt disponendae, vt cunctis profint, communique totius felicitati conducant<sup>27)</sup>; nos igitur oportet eius notionem distinctius efformare illiusque veros fines rite designare. Quo maior societas s. res publica est, eo maior politiae existit necessitas, in ea enim omnes directione indigent, et inter hos plures sunt, qui per remedia coactua ad suum redigi debeant officium. Quam ob causam ciuibus leges tam externae quam internae et consilia fanciri, atque eae, si natura cognosci queunt, ipsis euolui quodammodo debent, quo actiones subditorum ad veram eorum felicitatem dirigantur; atque cum salus publica suprema sit lex, hae leges quasi *in leges erga totum s. totam societatem per politiam mutantur.* Quando omnes suis fungerentur officiis, sint ea vel externa vel interna, salus totius profecto inde resultare deberet; ast dum plures nolunt perfectas suas obligationes lubenter obseruare, per politiam illae obligaciones confirmantur et quasi adeo in obligationes erga omnem societatem mutantur, dumque in naturali statu lubitui cuiusdam permittendum, vrum internis et imperfctis suis obligationibus velit satisfacere, in ciuili statu autem eadem evadunt per politiam externae et perfectae, dum nunc per politiam sunt erga omnem societatem obligationes, vel tamen, quando ciues quoque ad illas obseruandas non coguntur, tamen ita ordinantur, vt vel illarum custodia facilior vel toti ciuitati fiat magis proficia.

## §. 8.

27) Aristot. pol. I, II, c. 3. Plato de republ. I, IV.

## §. VIII.

Quae paucis a nobis dicta sunt, paulo vberius adhuc sunt explicanda. Secundum nostram opinionem politia *leges*, *qui-bus homines ut socii atque ut cives sunt subiecti, in leges mutat erga totum.* Supplet itaque quasi deficientes subditorum virtutes, quae si semper locum haberent, plura, dum politia ea vult, sponte et lubenter fierent; quod itaque quasi deest virtuti ciuium, suppletur et suppleri debet per politiam. Omne igitur, quod virtutes ciuium deficientes supplet, quod communem felicitatem sive legibus sive aliis institutis immediate promovet, est principium secundum quod ea determinari debent, quae politia sub se continet. Dicta illustremus. Dantur variae obligationes variaeque virtutes, ad quas in statu naturali viuens cogi nequit, et hominis natura non ita semper est comparata, ut ratio boni apud eum plurimum valeat. Si autem falsa publica, si communis felicitas aliud suadeat; tunc efficit politia, ut ad illas etiam, qui in republica vitam degit, cogi queat. Ex his, vti opinor, patet, omnem politiam quasi *vicariam* esse virtutum, atque eos, qui non ex harum ratione id agere velint, quod communi profit, e politiae momentis obligari, vel quoque eam faciliores reddere actiones ad publicam felicitatem tendentes eorum, qui ex virtutis rationibus eas suscipere volunt, et si ita bene agentes non omnia efficere possent, quae optantur, et alii non aequo bene acturi quasi in societatem eorum se conuertere debent, ut finis praefixus vere obtineatur. Ut amur, vt clarius nunc nostra euadat sententia, par-  
cis exemplis: pistori vtiique incumbit obligatio adeo externa, vt panem coquat coctumque vendat valetudini hominis et va-  
lori consentaneum, politia hanc suam obligationem mutat in  
obligationem erga totum: qui quis, et si interne, est obligatus,

vt ante aedes suas munditiei prospiciat, saepius tamen ea non peraget lubenter, politia igitur hanc obligationem facit externam et erga omnem societatem: quiuis consulat egenis et pauperibus, vt ipsis verum adumentum praestetur, politia agere, plura instituere, collegia eleemosynaria constitutre et ita vere pauperibus inferuire allaborabit.

### §. IX.

Demonstrauimus politiam promouere debere communem felicitatem, et sub hac securitatem publicam internam et omnia, quae ad vitae ciuium necessitatem, commoditatem atque iucunditatem pertinent, comprehendimus, dum illa absque his cogitari nequit; inde paret differentia inter ius et politiam. Illius enim finis etiam est, vt securitas publica interna promoueatur, ait minime in communi, sed tantum certis in casibus, qui interdum securitatem et tranquillitatem interpellunt. Iurisprudentia iura singulorum tractat, et actiones ipsis oppositaec secundum leges iudicantur et puniuntur, politia semper totius habet rationem, atque actiones illius ordinationibus oppositae castigantur secundum auctoritatem superiorum: in illis quasi nihil arbitrii, cuncta leges ipsae imputant, puniunt, in his multum voluntarii locum quasi habet<sup>28)</sup>. Differt quoque politia a re camerale ita, vt ea huic conatu suo inferuiat; quatenim melior politia eo foecundiores sunt scaturigines reddituum publicorum et ergo eo felicius res camerales agi poterunt. Hae quasi messis, illa seges, sed sine hac satis bona vel nulla vel pertenuis messis. Differt denique ab vniuersa politica,

<sup>28)</sup> Vti solet, succincte quidem, sed ingeniose de isto discrimine agit Montesquieu sur l'esprit des loix liv. 26, chap. 24.

quae forte, si nos non erramus, ut totum concipi potest; quod plures in se continet partes, et vna atque praecipua earum est politia, quae internam felicitatem ea vero ratione pro fine habet, ut tractet obligationes erga omnem societatem ciuilem earumque promoueat exactam custodiam.

#### §. X.

Variae dantur politiae diuisiones, quas omnes enumerare et enucleare ultra scopum nostrum forer, praesertim cum non de politia huius vel illius reipublicae nobis sit fermo<sup>29)</sup>. Nostro fini respondet diuisio politiae in I. *sublimem* et *vicariam*<sup>30)</sup>. Illa nemini concessa penes superiorem reipublicae est et totum omnesque reipublicae ciues spectat: *haec* e superioris concessione exercetur et praeter communem finem, qui etiam sublimis est, scilicet, ut totius curet felicitatem, imprimis huius vel illius societatis membra concernit. Posterior pro diuersitate societatum et vniuersitatium in republica existentium varia esse potest, praecipua autem species est politia urbana, et si haud negari possit, et politiam paganam maximi esse momenti, si respectus ad tot tamque graues oeconomias sumitur. Ex alio fundamento politia est II. vel *ecclesiastica* vel *secularis*, prout vel sacra concernit, vel non, et posterior rursus subdiuisiones admittit<sup>31)</sup>.

#### §. XI.

Quaestio oritur: *quinam sint fines inter politiam sublimem ac vicariam?* — Mea sententia nobis definitiones §. praec. de

C 3 politi-

29) e.g. datur in Germania politia *imperialis*, *circularis*, *territorialis* etc.

30) v. Perill Nettelbladti ius nat. §. 1280.

31) Ut politia militaria.

politia et sublimi et vicaria fines definiendi dant occasionem. Respicit illa 1) totum omnesque reipublicae ciues et 2) ab ipso superiori administratur: omne igitur, quod ad totius et omnium reipublicae ciuium felicitatem ab ipso superiori in re-publica suscipitur, pertinet ad politiam sublimem. *Haec* respici praesertim 1) hanc vel illam societatem eiusque membra et 2) non nisi e superioris concessione exerceri potest: omne igitur, quod ad huius vel illius societatis eiusque membrorum felicitatem promouendam referri potest, pertinet ad politiam vicariam. Quae de politia vicaria generatim sunt dicta, et iam de praecipua vicariae specie de politia urbana valent. Inter ea fieri potest, ut superior certa politiae vicariae competentia capita exerceat, et eo magis, dum illam concessit, sic quoque, ut certa capita politiae sublimis politiae vicariae inferantur, quae autem speciatim probari debent. Sunt quasi haec capita certa priuilegia, quae non praesumuntur, sed ab eo debent probari, qui ea sua esse contendit. Sic v. g. ius montes pietatis exstruendi est politiae sublimis et quando ciuitati competit e speciali competit concessione, quae est euincenda.

### §. XII.

De iis adhuc, qui causis politiae administrandis sunt adstricti, pauca dicamus. Nequaquam enim reipublicae indifferens esse potest, quomodo magnus politiae finis obtineatur, cum quivis politiae defectus, siue sit maior siue minor, reipublicae damnum saepe non minimi momenti afferat. Hacc administranda plura poscit maxima, maiora et minora collegia et cerro non paucos, quorum opera in hac graui provincia fungenda versari debet. Non quidem profundam et subti-

subtilem eruditionem in illis requiri, per se patet, sed ne pri-  
 mis quidem principiis imbutus scientiarum illarum, quae per-  
 tinent ad regendos ciues nihil profecto valebit, et quando ta-  
 men agere velit vel debeat, aduersus finem utique aget. Pu-  
 tamus nos, quo paucis omnia dicamus, hic requiri 1) erudi-  
 tionem et cognitionem, non subtilem rerum absconditarum, sed  
 cognitionem veram et practicam de rebus agendis, quae tam  
 ex historia, quam ex experientia mirifice promoueri ac augeri  
 poterit. Ingenii 2) acrimoniam et celeritas adeo plus in isto effi-  
 ciet, quam profunda eruditio. Res hic redit praecipue ad  
 actiones, ad casus singulares, in quibus celeritas ingenii iusto  
 plus proderit, quam rationis atque concatenandae rationalis  
 cognitionis profunditas. Finis est certus et media saepius  
 sunt eligenda et adhibenda sine praeiuia uberiori meditatione  
 et consideratione eorum, quae naturali quasi modo inde re-  
 sultant. Vt prudens celeriter eligere et agere debet, ita quo-  
 que iste, qui politiam eiusque partes administrant. Actiuitas,  
 vt ita dicam, tandem 3) et solertia, nequaquam in museo, sed  
 foris et inter homines, fere primaria est illorum virtus, quo-  
 rum officium in politia gerenda versatur. Per solas cogitatio-  
 nes nihil hic praefatur, agi debet, agi cum rebus, cum ho-  
 minibus, ita vero agi, vt hi audiantur, adiuuentur et, dum  
 eorum felicitas finis sit constitutus, blanda vel seria admoni-  
 tione, et solidis rationibus expugnentur, non dure aut frivole  
 pessundentur, quo agendi more non alliciuntur ciues, remo-  
 ventur, non auctoritas apud ipsos promouetur, sed cum vero  
 societatis detrimento diminuitur.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS AVCTORI  
S. P. D.  
P R A E S E S.

*Quae olim frequentissima in nostra academia erant, inde ab aliis annis eiusmodi specimina sunt rarissima, quale Tu, HONORATISSIME RESPONDENS, iam exhibes. Sunt huius plures rationes et non minima est noxiunis bodie tam solemne praeiudicium, esse ea minoris plerumque momenti, esse potius academicii paedantismi magis magisque tollendi luculenta specimina. Doleendum est profecto, ita iudicari, et dum ea, quae iuuenes fortissime olim impellebant ad seriam in inferioribus scolis et in academiis diligentiam vilipenduntur, loco verae eruditionis, fuerit ipsi quoque species aliqua innoxii paedantismi — forsitan enthusiasmi non illaudabilis admixta, bodie pauca discuntur, et obtinetur superficiaria, facilis — male vocatur popularis — cognitio, quae certo olim non sufficit prouinciis saepe maximis rite administrandis.*

*Longe aliter Tu, HONORATISSIME RESPONDENS, ves Tuas egisti. Per multa discrimina quidem Tu hucusque vitam Tuam duxisti, sed feroore maxime laudabili, et si Te plura ab illis detinere poterant, Te scientiis dicauisti, atque ornatus laudo DIVI ELECTORIS FRIDERICI G VILIELMI stipendio indefessa diligentia per biennium — breue quidem — sed bodie suum tempus, a Te tamen, quod in laudes Tuas dicere debeo, optima collocatum, ita literis operam dedisti, ut spem de Te concipi pere*

pere possum optimam, dum, potissimum PERILLVST. NOSTRI  
NETTELBLADTI, institutione in omnibus ad iurisprudentiam  
pertinentibus lectionibus, et meis acroasisbus philosophicis ac poli-  
ticis usus fuisti diligentissimus Auditor, et semper morum inno-  
centiam ac vitae integritatem piae Te tulisti, ac propterea amo-  
rem et plausum Praeceptorum es consuetus, qui nunc Tibi quae-  
vuis bona et fausta, ut Viro Docto et Bono ex animo appre-  
cantur.

Laudabiliter egisti, cum Tuum esse putabos, promissis  
Tuis stare et diu Electoris voluntati satisfacere, itaque ab onere  
disputandi non abhorruisti, eiusque veniam non voluisti obtainere;  
quod Tibi, vti ego quidem puto, non difficile fuisset, sed exacte  
Tuis satisfactorius officiis ipse hunc libellum scripsisti, quem Ti-  
bi reddo, et pauca modo a me sunt adiecta, vel tantum ordina-  
ta. Gratulor nunc Tibi vitam academicam feliciter actam et  
Tuam virtutem et eruditionem, cui strenue Te dedisti, optoque ex  
animo, ut Tibi solerti et eruditio lumen quaevis bona et fausta eue-  
niant, in quo ego semper magnum oblectamentum sentiam. Ita  
vale, et mei memoriam non depone. Dedi d. 19. Apr. 1784.

FRIDERICO AVGUSTO HANOW

I. v. c.

A M I C O S V O D I L E C T I S S I M O

G. O. V H D E N

I. v. c.

S.

*Sit mibi semper candidissimo calculo notandus dies, qui Tibi  
felix faustusque elucet; in primisque hic, quem iam omnes Tua  
amicitia gaudentes, concelebrabunt. Quos inter cum et me re-  
ferre, contingat, non possum non, quin, quod animum fere per-  
turbat, gaudium verbis Tibi exprimam. Quid enim gratius?  
quid dulcior? quam amicum videre se talen praefantem, qua-  
lem sibi optare possit res publica ciuem, qui integritate aequa, ac  
studio et eruditione omnem operam nauabit, quo patriae promo-  
veat salutem. Talem, Te Carissime, praefitutum, testatur, ut  
plura taceam, dissertatio Tua, quam publice defendendam insi-  
tuisti. Ad quod certamen eruditum me quoque quam libentissime  
accingam, praesertim quum, quae mibi est Tecum familiaritas, haec  
dulci voce me prouocauit. — Quibusunque optimis votis persequen-  
tur Te semper animus meus, consuetudinis hanc immemor Tuae  
dulcissimae. Utinam Tibi pateat amoenissima via, et profecto Tibi  
patebit, vti omnibus, qui virtute et prudentia ducibus eam in-  
greduntur. Vale. Dabam d. VII. Cal. Maii clo 10 CCLXXXIII.*

RESPON-

RESPONDENTI  
AMICO SVO CARISSIMO

S. P. D.

C. F. WIESIGER BEROLINAS

OPPONENTS.

*F*estum bunc diem etiam felicissorum meorum unum esse, non fateri nequeo, Tecum enim, cuius amicitia, immo familiaritate hactenus usus sum, publice loqui, mibi cancellos bodie aduenti contingit. Gratulor Tibi ex animo de feliciter peracto curriculo academico: non laudo progressus Tuos in litteris aequa ac in moribus; neque laudo opusculum a Te exaratum et a Te pro-pugnandum, nec volo, nec possum Tibi enim laudes congerere: Plausus enim Venerandorum Praeceptorum certe maior est Tibi-que dignior meis laudibus. Rogo Deum O. M. ut Te seruet inco-lumem, vtque excitet Tibi Fautores, quorum auxilio dignissi-mum Te reddidisti. Reliquum est, vt gratias Tibi agam quam maximas, quod prouinciam Opponentis mibi demandaueris, fun-gar ea, sed si non digne satis, fungar verissimi amici partibus. Vale. Dab. die XVII. Aprilis MDCCCLXXXIV.

---

RIBESONDINI  
AMICO SAVO GARRISIMO

E L D  
G E MIRSIER RECOLMANS

OTTO DE MEYEN

¶. Hinc pietatis et misericordiae vestrae, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. In gratitudine vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est. O misericordia vestra, quae non solum in nobis, sed etiam in aliis, manifesta est.

Halle, Drss.) 1782/85

ULB Halle  
002 169 606

3



sb





13  
1284  
2  
15

DISSERTATIO  
DE  
GENVINA POLITIAE  
NOTIONE  
EIVSQVE AMBITV

P 137

QVAM  
PRAESIDE  
IOANNE CHRISTIANO FOERSTER

PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
COLLEGII, QVOD HALAE PRO CAMERA REGIA DVCATVS MAGDEBUR-  
GICI RES SALINARIAS ET METALLIFODINAS CVRAT, ASSESSORE  
ORDINARIO, ALVMNORVM REGIORVM ET HALBER-  
STADIENS. PROVINCIAL. EPHORO

D. APRILIS A. MDCCCLXXXIV.

H. L. Q. C.

PUBLICAE EXHIBET DISQVISITIONI

AVCTOR ET RESPONDENS  
FRIDERICVS AVGVSTVS HANOW

MESOM. IVR. CVLT.

HALAE  
LITTERIS FRID. AVGVST. GRVNERT.

